



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXLVI. An Spiritus S. procedat à Patre & Filio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

manere dicitur, cum tamen à Patre procedat. Dicitur etiam Spiritus sanctus in Filio quiescere, vel sicut amor amantis quiescit in amato: vel quantum ad humanam naturam Christi, propter id, quod scriptum est, Ioan. 1. Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat.

Ad quintum dicendum, quod verbum in diuinis, non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis, à quo non procedit spiritus: quia sic tantum metaphoricè diceretur, sed secundum similitudinem verbi mentalis, à quo amor procedit.

Ad sextum dicendum, quod per hoc quod Spiritus sanctus perfectè procedit à Patre, non solum non superfluum est dicere, quod Spiritus sanctus procedat à Filio, sed omnino necessarium: quia vna virtus est Patris, & Filij. Et quicquid est à Patre, necesse est esse à Filio, nisi proprietati filiationis repugnet. Non enim Filius est à se ipso, licet à Patre.

Ad septimum dicendum, quod Spiritus sanctus distinguitur personaliter à Filio in hoc, quod origo vnius distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentis originis est per hoc, quod Spiritus sanctus est solum à Patre, Spiritus sanctus vero à Patre, & Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur: sicut supra ostensum est.

Conclusio est, Spiritus sanctus procedit non solum à Patre, sed etiam à Filio. Circa quam grauis nobis cum Græcis controuersia est.

DISPUTATIO CXLVI.

An Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio.

Spiritus sanctum à Filio non procedere Græci dogmatizant, cap. 1.

Hic error ex Scriptura refellitur, cap. 2.

Spiritus à Filio procedere definitum est ab Ecclesia, cap. 3.

Vbi addita fuerit primum symbolum Nicæno particula, Filioque, cap. 4.

Spiritus sanctum à Filio procedere docuerunt grauiissimi Patres Ecclesiæ Græcæ, cap. 5.

Eadem veritas ostenditur ex Patribus, qui dixerunt Spiritum sanctum esse à Patre per Filium, cap. 6.

Obligunt nobis Græci aliquos Patres Orientis, cap. 7.

CAPVT I.

Spiritus sanctum à Filio non procedere Græci dogmatizant.

Perulgata hæresis Græcorum, quæ ad nostra usque tempora peruenit, est, Spiritum sanctum à solo Patre procedere: quis tamen primus quidem si fides adhibenda est Epistolæ Iustiniani, quæ habetur in V. Concilio generali, Macedonius videtur esse, inquit enim de eo Iustinianus, Macedonius autem spirat à Patre solo Spiritum sanctum.

nam. Verum quidam recentiores Theologinon sine probabilitate putant, literam illam mendosam esse, & pro, spirat, legendam esse, separat, cum enim hic Macedonius cum Arrianis sentiret, Filium, & Spiritum sanctum non esse eiusdem substantiæ cum Patre, sed similes, vt disput. 105. cap. 1. & 100. cap. 2. iam dictum est, & huius sententiæ etiam fuit Eunomius, vt ibidem retulimus, fortassis cum illo docuit id, quod commemorat Basil. lib. 2. aduersus Eunomium, propè finem: Eunomius enim ita dicebat: Si è creaturæ subuehatur aliquis ad substantiæ comprehensionem, intelligit Filium ingentis, (id est Patris) esse facturam, vniuersi vero Paracletum. Dicebat ergo Eunomius Spiritum sanctum esse factum à Filio, sed non à Patre, idè contra illum infert Basilus in hæc verba: Quo pacto autem diuindere Spiritum à Deo, non habet manifestum periculum? Et paulo infra: At hic in destructionem maiestatis Domini nostri Iesu Christi, à Patre quidem Spiritum remouet. Sic igitur fortassis Macedonius separabat Spiritum à Patre solo, cum dicebat, eum à Patre non procedere, sed à Filio: nam eius dicitur esse Spiritus, à quo procedit: ergo si à Patre non procederet, non diceretur illius esse, ac proinde ab eo separaretur. Ceterum siue hoc ita sit, siue ille fuerit alius Macedonius ab illo, qui Arrianus fuit; siue Arrianus ille vtrumque errorem variis temporibus docuerit, vt solet accidere, hæretici enim in varios colores errorum in dies mutantur, nihil horum certo constare potest.

Primus igitur author huius erroris, quem de Spiritu sancto nunc Græci sequuntur, absque vlla controuersia fuit Theodoretus, dum adhuc Nestorianus esset, vt constat ex impugnatione 9. anathematismi Concilij Alexandrini apud Cyillum in lib. ad Enoptium. Exstat etiam in Concilio Ephesino nuper per nostrum Theodorum Peltanum translatus in 2. tomo, cap. 37. symbolum quoddam Nestorianorum, (nam, & Theodoretum multi sequebatur) in quo definitur, Spiritum sanctum nec esse à Filio, nec per Filium, sicut Theodoretus affirmabat. Atque idè merito S. Thom. in hoc articulo ad 2. huius symboli faciens mentionem dixit, hunc errorem primum à Nestorianis fuisse introductum. Sed cum Theodoretus à Concilio Ephesino esset anathematizatus, & ea, quæ contra Cyillum, & anathematismos prædictos scripsit, essent damnata, paulo post resipuit, & in Concilio Chalcedonen. ad communicationem Ecclesiæ, & ad patrem Catholicorum, receptus est. Quocirca hic error, quem obiter docuit, cum alio, qui præcipuus erat de Christi persona, omnino eo tempore videtur extinctus.

Porro, quo tempore, aut quis postea eum in Ecclesiâ Græcâ suscitauerit, non satis compertum est. Nonnulli arbitrantur tempore Pipini patris Caroli Magni iterum pullulasse. Nam vt refertur Amoinus, seu Annonius lib. 4. de gestis Francorum, cap. 67. Abbas Vpergensis, Sigibertus, Ado Viennen. & Regino in suis Chronicis, sub anno 766. Pipinus Rex Concilium Provinciale conuocauit in villam Gentiliacensem, vt quæstionem de Trinitate inter Græcos & Latinos definiret, quæ fuisse de processione Spiritus sancti, verosimile est, quia non videtur alia vquam quæstio de Trinitate suborta, quæ inter omnes Græcos, & Latinos versaretur: erroribus enim aliis Græcorum circa Trinitatem multi Latini consenserunt. Quare qui

re qui fecit compendium Chronici Adonis his nostris temporibus, id explicans addit, hanc questionem fuisse de processione Spiritus sancti. Cæterum idem Annonius lib. 4. de gestis Francorum, cap. 95. scribit, Aquilgrani habitum fuisse Concilium à Carolo Magno, ut processio Spiritus sancti à Filio contra Græcos definiretur, *Quam questionem* (inquit) *Ioannes quidem monachus Hic-
4. syrinus primo commouit tempore Leonis, qui Adriano suc-*
cessit sub anno 808. subiungit: huius rei gratia Romanam missos fuisse Bernhartum Episcopum Wormaciensem, & Alahardum seu Adelhardum Arborem Monasterij Corbeiz. Tribuitur etiam hic error Damasceno, qui fuit tempore Adriani I. & Leonis Imperatoris Iconomachi, & Theophylacti, qui fuit tempore Nicolai I. & Euthymio. Ego tamen puto hos Patres non negasse, quod reuera Latini sentiunt, ut cap. 7. probabitur, tamen nostrum loquendi modum Theophylactus acriter notauerit.

Refert etiam Ioannes Diaconus, qui eodem tempore Theophylacti vixit lib. 4. vitæ S. Gregorij, cap. 75. Græcos transulisse in suam linguam Dialogos S. Gregorij, & illam particulam, *Filioque*, prætermisisse: fortassis tamen id sine errore circa rem ipsam fecerunt. Quia cum secundum Phrasim Græcam libenter faterentur, Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, volebant tunc aliqui Catholici, ut Damascenus, Theophylactus, & alij, concedere Spiritum sanctum à Filio produci, ob rationem, quam cap. 7. dicemus. Potuerunt igitur hac de causa, quod modus loquendi illis non probaretur, particulam, *Filioque*, prætermittere.

Denique, ut colligitur ex Leone IX. qui vixit anno 1054. in Epistola ad Constantinum X. Imperatorem dictum Monomachum, & ad Michaellem Patriarcham Constantinopol. qui vniuersalis Patriarchæ nomen sibi usurpare conatus est, & ex Sigiberto in Chronico, sub anno 1054. eo tempore aperto Schismate Græci à Latinis diuisi sunt. Eodem namque fere sæculo Anselm. contra hunc errorem librum conscripsit de processione Spiritus sancti. Perseuerat vero hic error ad nostra usque tempora, & ea de causa sub Eugenio IV. Concilium Florentinum celebratum est. Sed & recentioribus nostri temporis hæreticis refertur à nonnullis pro hoc eodem errore Valentinus Gentilis prothefi 36. & 37. quia solum Patrem dicit esse essentiatorem Filij, & Spiritum sancti, (sic enim ipse loquitur) hoc modo loquendi pite indicans, vtrumque à solo Patre procedere. Verum cum ille Arrianus esset, & Filium, & Spiritum sanctum creaturas esse affirmaret, solumque Patrem, & *20. róleor*, hoc est, à semetipso Deum assereret, ut disput. 109. cap. 1. retulimus, pro hoc errore recenseri non debet. Nam Arriani varij fuerunt: alij dicebant, Filium esse à solo Patre, & Spiritum sanctum à solo Filio: alij vtrumque esse à Patre, sicut veras creaturas illius, cum Arrianismo igitur facile constaret assertio Valentini. At controuersia inter Græcos, & Latinos de processione Spiritus sancti procedit, supposito ex fide Catholica contra Arrium, quod Spiritus sanctus, & Filius sint verus Dei, & Patri consubstantiales.

Adversus hunc errorem luculenter, & accurate disputauit Cardinalis Bessarion, natione Græcus, & Archiepiscopus Nicænus in Oratione habita in Concil. Florentino pro vniōe Græcorum, & Latinorum, quæ est post vltimam sessionem: ibi autem potissimum ostendit ex sanctis Patribus Græcis, Spiritum sanctum à Patre, & Filio verè procedere: nos vero addemus etiam testimonia Scripturæ, & Conciliorum, ut huius dicti veritatem amplius demonstremus.

Primum testimonium est, Ioan. 6. Omnia, quæ *10. habet Pater, mea sunt.* Et cap. 17. Omnia tua mea sunt, ergo habet Filius à Patre non solum essentiam, sed proprietatem etiam spirandi: nam cum dicit Christus, *Omnia tua mea sunt*, ea solum excipiebant, quibus personæ inuicem opponuntur: illis enim solum distinctio debet attendi, ut loquenti disput. parebit. Hæc loca ita intelligi Augusti lib. 5. de Trinitate, cap. 14. imo ex Patribus Græcis Damascen. quem pro suo errore Græci nobis obijciunt: nam lib. 1. de fide, cap. 9. licet: *Quia in omnia, quæ Pater habet, Filius sunt, hoc vno excepto, quod ingentis non est, quia quidem vox nec natura distincta, nec dignitatem, atque authoritatem, sed existentiam modum indicat.* Quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec Filius eum spiraret, non diceret Damascenus, *Hoc vno excepto quod ingentis non est.* Cum igitur illud solum excipiat, reliqua omnia, quæ sunt Patris, vult etiam esse Filij. Et cap. 1. *Non idemque omnino sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, si, quod Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus processit.* Vbi inter Patrem, & Filium, omnia potest esse communia, præter paternitatem, filiationem.

Secundum testimonium est eodem cap. Ioan. 6. *Non enim* (scilicet Spiritus sanctus loquens à seipso, sed que audiet, loquens, & que veniens sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de me accipit, & annuntiabit vobis. Quod licet non eodem modo omnes Patres interpretentur, plures tamen, & grauioribus ex Latinis, de processione Spiritus sancti à Filio intelligunt. Ex Latinis in primis est Basiliius lib. 8. de Trinitate, longe à principio. & Augusti tract. 99. in Ioan. quem sequitur Beatus Commemoratus eiusdem loci, & Anselmus in lib. de processione Spiritus sancti, cap. 7. qui sane existimant, audire à Patre, vel à Filio, de aure corporea, vel discipulæ non esse intelligendum, sed de natura, quam Spiritus sanctus ab utroque processione sua accepit: sic enim, & scientiam omnium accepit: siquidem eius scientia est eius substantia, & natura. Eodem pacto, Ambrosii lib. 5. de fide, cap. 6. explicans illud Christi, Ioan. 12. *Ex meipso non sum locus, non redi ad humilitatem carnis eius referre: reddi rationem his verbis.* Perique enim doctores, & *20. lūm*, & dicere aliquid Filio Patrem, accipiens per vultum, & de re natura, & hac ratione explicat, quid sit Filium à Patre audisse.

Adducit deinde testimonium illud Ioan. 6. *Non enim loquens à semetipso, &c.* Et addit commentationem his verbis: quia vna sententia, & operatio Trinitatis est. Et lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. explicans eundem locum ait. Quod si, quia venit omnia vobis, & *20. lūm* scientiam habet omnium Dei Filius futurorum, quæ *20. lūm* cognita putat, ea de Filio Spiritus sanctus accipit: *20. lūm*

*Quo tempore Græcia Latine ap-
erto Schismate recessit.*

autem per unitatem substantiae, sicut accepit à Patre Filium. Ergo sentit Ambrosius nihil aliud esse Filio audire, quam accipere naturam, ea enim, ut dixit Aug. scientia illius est. His accedit ex Græcis Nazian. orat. de fide, quæ est 49. prope finem, ubi probat Spiritum sanctum mitti à Filio de propria illius substantia, ex illo Ioëlis 2. Effundam de spiritu meo, &c. Et ex illo Ioan. 16. De meo accipiet & annuntiabit vobis, subiungit autem, ex eo vniue, (supple annuntiabit vobis) quod est Filius, quia & Filius de eo, quod pater est. Ac si dicat, Spiritus ex eo, quod à Filio accepit, annuntiabit, sicut Filius ex eo, quod accepit à Patre. Id autem, quod Filius à Patre accepit, & Spiritus sanctus à Filio, etiam est scientia, ut dixit Aug. quæ est eius substantia & natura. Consentit etiam Didymus lib. 2. de Spiritu sancto apud Hieronymum 6. tomo, qui illud, Non enim loquetur à semetipso, sic exponit, Quia non ex se est sed ex patre, & me est hoc enim, quod substantia, & loquitur, à patre, & me illi est.

Non ignoro, graues quoque Patres Ecclesiæ Græcæ alter hunc locum exponere; mihi tamen prædicta Latinorum, Nazian. & Didymi interpretatio probatur. Chrysost. ergo homil. 67. in Ioan. & Theophylactus, & Oecumen. cap. 10. eiusdem, & Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 4. illud, Non enim loquitur à semetipso, sic intelligunt: hoc est, non aliam, quam ego docui, disciplinam sequetur. Ille enim à seipso videtur loqui, qui ab alijs discrepat in doctrina: & eodem modo explicant illud, De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod videlicet vna sit vtriusque scientia: nunquam tamen de processione Spiritus à Filio hæc verba interpretantur. Excipio Cyrillum, de quo statim. Consonat etiam Tertul. de virginibus velandis, cap. 1. in fine, sic enim ipse legit, Non enim à se loquitur, sed quæ mandantur à Christo; non quia Spiritus mandatum accepit à Filio, sed quia eadem profus, quæ Christus facienda, & credenda præcepit, hæc eadem & ipse Spiritus sanctus loquitur, & annuntiabit.

Ex his tamen Græcis Patribus Cyrillus lib. 13. Theauri. cap. 4. tamen hanc videatur amplecti interpretationem, quam libro illo 10. in Ioannem, cap. 4. fuerat secutus; id tamen etiam refert ad emanationem, & processionem: ait enim in hæc verba, Non enim loquitur à semetipso, &c. Simile enim pene est, si mel quoque de dulcedine sua (quæ qualitas sibi naturaliter inest) diceret: nihil sibi dulcedo mea dedit à se ipsa gustantibus, sed de meo accipiet: naturaliter enim substantiarum qualitas, atque inseparabiliter prodit ex ipsis: ut verbi gratia, dulcedo ex melle, calor ex igne, frigiditas ex aqua: sicut ergo istæ qualitates non dicuntur participare substantias, in quibus sunt, sed naturaliter in eis inesse, & ex eis prodire, sic de Spiritu quoque sancto intelligendum est.

Tertium testimonium est Ioannis 15. & 16. ubi Christus promittit Apostolis se missurum illis Spiritum sanctum: atqui, ut ostendimus disp. 170. missio vnius personæ ab alia intelligi nequit, nisi substantia liter ab illa procedat, à qua mittitur, si personæ sint eiusdem naturæ, & substantiæ, sicut Græci de Filio & Spiritu sancto affirmant: ergo Spiritus sanctus à Filio procedit, siquidem ab eo mittitur. Porro autem non solum dari nobis à Filio dona creata gratiæ; verum etiam ipsam personam Spiritus sancti tunc ad nos mitti, eodem loco probabitur.

Quartum testimonium est ad Roman. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Sunt etiam Testes in 1. p. tom. 2.

alia, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filij; nulla autem ratione posset dici Spiritus Filij, nisi ad Filium referretur: ad Filium autem non referretur, nisi ab eo procederet. Si enim aut naturæ identitas, & potentia, aut alia causa sufficeret, ut diceretur Spiritus Filij; posset eadem ratione dici Filius Spiritus sancti, quod nullus etiam Græcorum concedit. Quo sane argumento sufficienter probari processionem Spiritus à Filio, putavit Augustinus: imo & Concilium Alexandrinum, ut sequenti cap. videbimus, hanc Catholicam veritatem deduxit ex eo, quod Spiritus sanctus diceretur spiritus veritatis, hoc est, Filij: nam Filius dicitur veritas. Ex quibus liquet, Græcos huius temporis falso nostram sententiam notare, quod nulli Scriptura habeatur.

Sed obiciunt etiam illud Ioan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit. Nam cum Christus non addiderit, à seipso etiam procedere; sed solum dixerit, à Patre, videntur temeritate non carere, qui affirmant à Filio procedere. Respondet August. lib. 3. contra Maximinum, c. 14. his verbis non excludi Filium, sed exprimi Patrem, ut authorem principalem, qui est principium sine principio. Deinde respondet Anselmus libro de process. Spiritus sancti, hoc modo, Etiam si diceretur, Nullus producit Spiritum sanctum, nisi solus pater, non excluderetur Filius: sicut illis verbis Matth. 11. Nemo novit Filium nisi pater, neque pater quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare: nec excluditur Filius à cognitione sui, neque Spiritus sanctus à cognitione vtriusque. Postremo respondeo, ex alijs locis manifeste probari, Spiritum sanctum à Filio procedere, & ideo Filium à productione Spiritus sancti ibi non excludi. Adde quod, cum ibidem dicatur, Quam ego vobis mittam, plane denotatur Spiritum sanctum etiam à filio procedere. Quia, ut disp. 171. dicemus, missio est ipsa æterna personæ processio.

Obiectio
Græcorum
Ioan. 15.

Augustini
responsio.

12
Responsio
Anselmi.

Ultima
responsio.

CAPVT II.

Spiritum à Filio procedere definitum est
ab Ecclesia.

Non solum hæc veritas ab Ecclesia Catholica iamdiu explicata est; verum etiam symbolo Niceno quod publice canit Ecclesia, addita sub illa particula, Filioque, ut inferius videbitur. Estigitur in primis hæc veritas definita in Epistola, quæ missit Cyrillus, cum toto Concilio, non Ephesino, ut falso autumant Castro adversus hereses verbo Deus heresi 12. & Cananen. in hoc art. sed Alexandrino ad Nestorium, & recepta fuit postea à toto Concilio Ephesino, habeturque in 1. tomo Concilii Ephesini c. 14. & inter Epistolas Cyrilli decima est, ubi dicitur, Spiritus enim veritatis nominatur, & est Christus veritas, & effunditur ab eo, sicut & ex Deo patre, sicut à Patre, ut in antiqua Conciliorum compilatione habebatur. Estigitur veritas hæc definita in aliquo ex quatuor generalissimis concilijs, quantumvis Græci tergiuersentur: taceant ergo, & auctoritate Concilii Ephesini convincti meliora sapiant, aut saltem deinde nobis non obiciant, quod in nullo ex quatuor generalissimis Concilijs hæc veritas fuerit definita. Recitata quoque, & approbata fuit Epistola illa in Concilio generali, quod dici-

43

S

*Conc. 5. ge-
nera. Cyrill.
Conc. Chal.
Sexta syn.
Septima syn.
Conc. Flor.
Andriens.*

dicitur Germanum, collat. 6. atque in vniuersum Epistolæ synodales Cyrilli approbatæ sunt à Concilio Chalcedonensi. actione 5. in posteriori definitione fidei, & à 6. synodo actione 17. habemus etiam in 7. synodo actione 7. symbolum cum illa particula, *Filiog.* procedit, cumque in Concilio Florentin. sessione 6. & 7. obicerent Græci, in suis codicibus 7. synodi illam particulam non esse, Andreas Theologus Ecclesiæ Latinæ in illa sessione 7. testificatus est, se habuisse codicem vetustissimum manuscriptum, in quo particula illa continebatur: atque ego non dubito in Græcis codicibus semper fuisse particulam illam, per *filium*, quæ frequentius Græci patres utebantur, ut proprietatem suæ lingue seruarent, sicut cap. 6. notabimus. Nam liber Carolinus, quem Adrianus primus confutauit, in scripto de imaginibus ad Carolum Magnum (estque inter Epistolas Adriani 2. tomo Epistolarum pontificum, & in tomo Conciliorum post 7. synodum) cap. 1. reprehendit Tharasium, quod in 7. synodo actione 3. in Epistola ad summos sacerdotes, & episcopos dixerit, & in Spiritum sanctum viuificantem, ex patre per filium procedentem, non autem dixerit à Patre, & Filio procedentem. Quem statim defendit Adrianus, ostendens doctrinam esse patrum tam Græcorum, quam Latinorum, Spiritum sanctum ex utroque procedere, nullamque assignat differentiam inter illas duas particulas, per *filium*, & à *filio*, quoniam ex eisdem patribus, qui asserunt Spiritum sanctum procedere à patre, & Filio, probat, quod dixerat Tharasius, & 7. synodus, à patre per *filium*. Porro eandem vim apud Græcos habere particulam illam, per *filium*, quam habet apud Latinos particula, *filioque*, eodem capite allegato probabimus.

*Conciliorum
Latinorum
authoritas.*

15

Est etiam eadem veritas definita in Conciliis Latinis. Primum quidem in Toletano 1. sub Leone 1. in assertionione fidei, in Toletano 3. Sub Rege Recaredo, & Gelasio 2. Pontifice, cui interfuerunt S. Leander Hispanensis Episcopus, & S. Euphemius Toletanus, ibi enim in confessione fidei, quam 150. Patres exposuerunt, dicitur, *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, ex patre & Filio procedentem*. Et iterum in alia fidei confessione, quam fusiùs ediderunt, quæ incipit, *precipiente, in 3. cap. dicitur, Quicumque Spiritum sanctum non credit, à patre & Filio procedere, anathema sit.* Quæ omnia in illo Concilio, sicut & multa alia, quæ Toletanis Concilij dearent, opera Garfæ Loayse Doctoris Complutensis viri clarissimi, & principis nostri Philippi 3. dignissimi præceptoris cum omnibus alijs Concilij Hispaniæ, ex vetustissimis manuscriptis correctissima, aucta, & erudite annotata habemus: idem definiunt in Concilio Toletano 4. circa tempora Honorij pmi c. 1. & in 8. Concilio circa tempora Martini primi, & 11. Concilio sub Rege Vaambano in confessione fidei, quæ omnia celebrata sunt ante sextam synodum generalem: & in Concilio Aquilgraniensi sub Carol. Magno, vt c. 1. notauimus. Gentiliacense namque sub Pepino Rege prætermitto, quia non satis constat, an hæc quæstio ibi fuerit definita. Fuit etiam pro hac Catholica veritate celebratum Concilium apud Barum ex Græcis & Latinis tempore Urbani 2. vt author est Ansel. lib. de process. Spiritus sancti c. 4. cui ipse interfuit, paulo post schisma inchoatum. Deinde Lateranense sub Innocentio 3. ubi in c. 1.

*Anselm.
Conc. Later.*

16

idem decernitur: cui interfuerunt Græci & Latini, vt constat ex c. 4. eiusdem Concilij. Postea Lugdunense sub Gregor. 10. ubi Græcis & Latinis congregatis, eademque veritate definita symbolum Nicenum cum illa particula, *Filiog.* ter cantatum est. Definitio huius Concilij habetur in cap. 1. et summa Trinitate, & fide Catholica in 6.

CAPVT IV.

*Vbi addita fuerit primum symbolum Niceno
particula, Filiog.*

Diximus hæcenus, ubi hæc veritas fuerit ab Ecclesia definita: ceterum ubi primum addita fuerit symbolum Niceno particula, *Filiog.* certum non est. Nunc quidem addita inuenitur in Concilio Tolet. 3. vt supra vidimus, in symbolo, quod Patres illi post symbolum Niceni ediderunt, quod sane, cum paucis solum verbis dempti, cum quibus modo publicè non cantatur, idem omnino est cum Niceno. Hanc vero confessionem habemus in noua compilatione Conciliorum Hispaniæ nuper edita à Garf. Loaysa, cum antea in concilio ea non haberetur. Fuit autem illud concilium sub Recaredo, & Gelasio 2. anno Domini 597. Eodem modo addita fuit in 8. concilio Tolet. ubi paucis additis, vel mutatis, cū hæc particula habetur symbolum Nicenum: nam in alijs Conciliis Toletanis, non in symbolo, sed in definitione fidei ponitur. Porro in his Conciliis particula illa non ponitur sub eadem forma, *Filiog.* sed sub hac, & *filio*. Quare merito S. Th. in hoc art. ad 2. putat, particulam illam in aliquo Occidentali Concilio additam fuisse symbolo Niceno, ubi autem primum publicè in Ecclesia ceperit cantari symbolum cū illa particula, ego hæcenus non legi. Ex quibus colligitur, nullum esse Concilium antiquius Tolet. 3. in quo absque controuersia symbolum Nicenum cum illa particula habebatur: de Concilio namque Rom. sub Damaso, quod multo ante Tolet. 3. celebratum est, non est omnibus confessum, an in eo addita fuerit particula, *Filiog.*, quod si à Patribus illius Concilij, approbante Damaso addita fuisset, absque dubio ibi primum cepisset.

Ceterum Stanislaus Socolouius in annotationibus in cap. 1. censuræ Orientalis Ecclesiæ existimat, particulam, *Filiog.* additam fuisse symbolo Niceno à Damaso Papa in Conc. Romano, quod hæc ratione ipsè deducit. Cum autoritate Damasi, & Theodosij Concilium Constantinopolitanum 1. Constantinopoli fuisset conatum, ex Occidente literæ missæ fuerunt, vt omnes Patres ibi congregati Romam ad Concil. Romanum veniret, sed cum propter incommoda multa illi venire non possent, suam fidem ad Concil. Romanum miserunt: quam Damasus cum Concil. Romano probauit, addita solum particula illa, *Filiog.* ad maiorem explicationem symboli Niceni: quod iterum Constantinopoli additis paucis verbis ad maiorem explicationem præd. Patres confirmauerunt, quod probat hic author ex epistola ad Damasum, quæ habetur in principio Concilij Constantinopolitani c. 1. & in lib. 9. Tripartitæ c. 14. & potest confirmari ex symbolo Damasi, quod habetur in 9. tom. Hieronymi. ubi addita est prædicta particula. Probat de quo nique ex Hugone Etheriano lib. 3. de processione Spiritus sancti c. 16. quem ego non legi.

Hæc tamen nullius momenti sunt, quia in epistola

stola illa solum refertur, quo modo Patres illi Constantinopolitani aliquibus incommotis impediti Romam venire non potuerunt, & ideo suam fidem scriptam ad Concilium Romanum miserunt, nunquam cum illo concilio generale celebrant. De particula vero illius additione ne verbum quidem, imo inter decreta illius Concilii Romani, quæ habentur in illo 9. lib. Tripartita cap. 16. nihil de processione Spiritus sancti à Filio decernitur: Sed Canone 16. solum damnatur, qui negaverit Spiritum S. esse à Patre. Quod vero ex symbolo Damasi adducitur, parum etiam refertur, tum, quia non satis constat, an symbolum illud sit Damasciæ namque, quæ in 9. tomo Marius Victorius colligit, incerti auctoris sunt: tum etiam quia symbolum illud longe diuersum est à Niceno, & Constantinopolitano: nunc autem non querimus, ubi hæc veritas fuerit primum definita, sed ubi primum addita fuerit particula, *Filioque*, symbolo Niceno, quod in Ecclesia cantatur.

Sed obiecit nobis Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura illa Orientalis Ecclesie c. 1. quod in symbolo Niceno Constantinopolitano confirmato expresse dicatur, Spiritum ex solo Patre procedere. Id tamen esse falsum, vel ex verbis symboli, quæ in eo capite ipse subiicit, manifeste liquet. Dicitur enim, *Et in Spiritum sanctum Dominum, & uiuentem, qui ex Patre procedit, &c.* Vbi quamuis solum exprimitur, ex Patre procedere: tamen non dicitur, ex solo Patre, quæ duo longe diuersa sunt. Conqueruntur tamen Græci, & Hieremias eo loco, quod nos contra definitionem Patrum Niceni Concilii particulam, *Filioque*, addiderimus, quam Patres Niceni non posuerunt. Verum quis non videat, ea, quæ secundum syncretam, & rectam fidem symbolo adduntur, minime decreto Niceni Concilii aduersari? Constat enim in symbolo Niceno de Spiritu sancto non plura fuisse pronunciata, quam illud, *Et in Spiritum sanctum*, postea vero à Patribus primi Concilii Constantinopolitani addita fuisse illa verba, *Dominum uiuentem: qui ex Patre procedit*: ob id tamen nullus Græcorum conqueritur. Cur vero tam pauca de Spiritu sancto in Concilio Niceno dicta fuerint, explicat Basilus in Epistola ad Ecclesiam Antiochenam, quæ est ordine 60. ubi recitato primum symbolo Niceno in fine epistolæ sic ait: *Quoniam vero doctrina de Spiritu sancto indefinita est; propterea quod nondum comparerent bellum contra Spiritum sanctum, an condemnandi sint, qui Spiritum sanctum creatum, ac seruilem esse naturæ dicunt, in ea synodo nulla facta est mentio.* Cam igitur potest Concilium Constantinopolitanum, tempore inquam Ephesini, ut i. diximus aliqui negare cepissent, Spiritum sanctum esse à Patre per Filium, iure optimo oppositum definitum fuit in prædictis Conciliis, & ad maiorem explicationem symbolo addita illa particula, *Filioque*, quodquam sit consonum sacre Scripturæ c. 2. probatum est. Quantum vero doctrinæ Patrum etiam Græcorum, consentiat, sequenti facile ostendemus.

Quod si Græci Latinos insimulant, quod illam particulam, *Filioque*, symbolo addiderint, notent etiam Tharastum, quod in 7. synodo actione 3. in epistola ad summos Sacerdotes, & Episcopos addiderit illam, *per Filium*, quam quidem eandem omnino vim habere c. 6. præcipue demonstramus. Nec obstat nobis, quod in Concilio

Vasquez in 1. p. tom. 2.

Ephesino Can. 7. dicitur, nemini libere aliam fidem vel proferre, vel scribere: recitatum autem fuerat inter alia symbolum Nicenum, & Constantinopolitanum: hoc, inquam, non obstat, quia ut diximus prædicto additamento non profertur, nec scribitur fides alia: sed eadem declaratur, & explicatur magis secundum doctrinam Patrum. & perum scripturæ sensum. Quod si ne verbum quidem addere liceret, ut Græci contendunt, damnari deberet etiam Chalcedonenſe Concilium, quod multa symbolo Niceno addidit, & aliqua etiam detraxit. Et planum est, Concilium generale etiam approbatione Pontificis Romani non potuisse præscribere modum condendi symbolum futuris Conciliis, & Pontificibus. Liberum enim successoribus, utpote æqualibus, est alio modo, & alijs verbis fidem explicare; modo nihil contra rectam fidem addere velint, aut detrachere. Id autem, quod de Leone 3. testatur Magister in 1. libr. distin. 11. posuisse vel elicet ad fidem nostræ cautelam in tabula argentea symbolum Constantinopolitanum sine illo additamento, *Filioque*, in altari Apostolorum Petri & Pauli, cum tamen eo tempore iam fuisset facta additio (vixit enim anno 900.) libenter fatemur: hoc tamen nihil prædicto additamento aduersatur: id enim non fecit, ut damnaret additamentum, sed ut seruaretur memoria illius symboli, quod nostro nequaquam contrarium est.

CAPUT V.

Spiritum sanctum à Filio procedere docuerunt grauiſſimi Patres Ecclesie Græcæ.

Omissis Latinis Patribus, quorum innumera potuissent referri testimonia, ex multis grauiſſimisque Ecclesiæ Græcæ doctoribus, hanc veritatem confirmat Bessarion c. 6. & 7. illius orationis, quam habuit in Concilio Florentino, ubi bifariam de Spiritu S. loquuntur. Quidam dicunt, Spiritum sanctum ex Filio, aut à Filio procedere; vtunturque particula, *ex*, aut *à*, sicut Latini, quorum testimonia in hoc capite proferemus. Alij vero dicunt, per Filium procedere, ex quib. sequenti capite eadem veritas cum probanda est. Referemus autem hic non solum testimonia, quæ recitauit Bessarion, quæ nullam à Græcis calumniam pati poterant, sed alia etiam, quæ ipsi malitiose, & absque fundamento calumniantur.

Primum testimonium est Athanasii in symbolo in hunc modum, *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quod sane symbolum Græci immerito negant esse Athanasii: nam Gregor. Naz. in orat. de laudibus Athanasii quæ est 12. testatur Athanasium edidisse perfectam fidei confessionem, quam totus occidens, & oriens veneratur. Augustin. quoque in 1. saluum 120. nomine Athanasii integrum verbum huius symboli recitat: sed, suppresso nomine Athanasii, vtitur sententiis illius 5. de Trinit. cap. 8. & epist. 174. & in Enchiridio cap. 36. quare Græci negare nequeunt huiusmodi symbolum editum ab Athanasio. Quo autem fundamento nixi dicere poterunt, particulam illam, *à Filio*, malitiose additam fuisse à Latinis? Tempore sane Gennadii Scholarii, ut ipse scribit in libr. pro defensione Concilii Florentini. c. 1. f. 5. fatebantur Græci symbolum hoc editum ab Athanasio: ipsum tamen ebrium fuisse, quando

Genebrar.

Athanas.

24

Secundum
testimonium.

*Tertium te-
stimonium.*

25

Græcorum
enasis præ-
cluditur.

cundus à Filio est, non tamen aliena ipsam esse materiam
sequetur. Cum ergo Basilii dicat, Spiritum
ordine, & dignitate esse secundum, Spiritum
sario fatetur, Spiritum esse à Filio, & Filium esse
originem Spiritus, esse enim originem secundum
ab aliquo, ex sententia Basilij verbis citatis, est
ab illo, esse vero dignitate secundum, est esse
origine secundum. Adde quod, si Spiritus sanctus
non esset à Filio, non haberet cum illo ordinem
primi, & secundi, infra disput. 168. cap. 2. vide
bimus.

Quartum testimonium est Epiphanius ^{hæres. 69. cap. 1.} ubi de Spiritu sancto ait. Ex Patre procedit, & de ^{cap. 1.} *Filio accipit.* Quibus verbis offendit contra Arianos, Spiritum S. non esse creaturam, referentem illa ad eternam emanationem: aliqui nihil probaret. Eadem verba, & rationem repetit paulum eo loco, vt probet, cetera præter Spiritum sanctum esse creata: quia nec à Patre procedunt, nec de Filio accipiunt. Idem libro Anchoratus ^{cap. 1.} p. 232. 349. 350. 351. dicit, Spiritum sanctum esse Filio, & iterum esse ex Patre & Filio, & ab utroque: quæ ad factum manifestæ, vt nullus eas inficari possit. Ceterum Marcus nomine Græcorum in Concilio Florentino sessione 18. conatus est defendere, in Epiphanio non haberi verbum, ^{cap. 1.} *essentiam autem à Ioanne Ecclesie Latine Thologo conuictus* ^{cap. 1.} *esset* esse, explicauit hoc modo, vt esse ex Patre & Filio, nihil aliud sit, quam esse substantia illorum, hoc est, eiusdem cum ipsis substantia: verum hoc etiam ibidem Ioannes, & Cardinalis Bessarion confutauit, probantes illud, ^{cap. 1.} *esset* ad personam Patris & Filij referri.

Quintum testimonium est *Chrysostomus* tom. 7.
hom. 1. de symbolo, qui Spiritum S. de Patre & Filio
precedentem appellat. Sexum testimonium est
Didymi lib. 2. de Spiritu S. apud Iheronymum ad
2. explicans enim illud Ioan. 16. Non enim ex se
ipso loquitur, sic scribit: *Quia non ex se, sed ex Patre
& me est, hoc enim, quod subsistit, loquitur, & Patre
& me ille est: Quod nihil clarius dici potuit.* Septi-
mum testimonium est Simeonis Metaphrasti
in vita Dionysij Areopagite, *Alendi* (inquit)
meus Christus in celum, & ad patrem sed re-
uertitur, & Spiritum, qui ex ipso procedit, mitti
discipulis.

C A P V T VI.

Eadem veritas ostenditur ex Patribus, qui dixerunt, Spiritum sanctum esse à Patre per Filium.

Sunt alij graues quoque, & antiqui Ecclesia
Græcæ doctores, qui Spiritum sanctum in Per-
tre per Filium procedere docuerunt. Et quibus
eandem veritatem comprobatur *Baptis-
tione illa* cap. 6. præmitribat *autem* cap. 1. docudum
sancti Thomæ in articulo 3. huius questionis,
particulam, *per* qua videntur illi Patres catenæ
causæ *per* principij significare, quod nullus sine
negare potest. Nam quod afferunt Græci, cum
poni *per* particulam *cum*, frivolum est: quia enim
recte dicit, Petrum, qui indutus veste, atque adeo
cum veste deambulabat, per vellem ambulare: *de-
milia* ? Adde quod in Scriptura particula, *per*,
significat causam *per* principium, Genes. 4. *per*
dis hominem per Deum, Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta*
sunt. Et ad Col. 1. *Omnia per ipsum creata sunt*.

bus locis si interpretaremur, cum, ineptus sensus redderetur. Docet etiam Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 29. particulam, per interdu idem significare quod, ex. Alia etiam duo, quae docent Graeci, frivola sunt: nempe Patres uti in hoc mysterio particula, per, tum ad denotandam relationem Filij ad Patrem, tum etiam ad significandam naturae identitatem. Nam si eo modo loquendi significaretur consubstantialitas filij, eodem modo dicere possemus, Filium procedere à patre per Spiritum sanctum, ut indicarem, Spiritum S. esse etiam eiusdem cum Patre substantiae. Deinde non satis apparet, quomodo relatio Filij ad Patrem particula illa denotetur, aut si denotari posset, non videretur, quia ratione id necessarium esset: cōsequitur ergo, Patres Graecos, & Latinos particula illa vfos fuisse, ut causam significarent: atqui particula illa significare non potest causam materialem, formalem, aut finalem Spiritus sancti, compertum est: ergo denotat causam efficientem: haec autem non potest alia esse respectu Spiritus sancti, quam principium produciens: ergo qui dicunt, Spiritum sanctum esse à Patre per filium, fatentur etiam, filium esse principium Spiritus sancti.

Id autem in primis asserit Basil. lib. 5. contra Eunomium c. 12. ubi quaestionem proponit quare Spiritus S. non sit filius Filij: & respondet his verbis. Non ideo non dicitur filij, quia non sit ex Deo per filium, sed ne suspicetur Trinitatem multiplicari in infinitum. Quod si Spiritus sanctus non procederet à filio, eam quaestionem non proponeret, cum nihil haberet difficultatis: nec eo modo responderet: facilius enim multo dixisset, ideo non esse filium Filij, quia non procedit ab eo. Eodem etiam capite asserit Basil. Spiritum S. esse filium à Patre per Filium: id quod, ut optime notavit Bessaron, intelligi nequit de temporali manifestatione, qua missus Spiritus S. à Patre & Filio, in discipulos effusus est, sed de aeterna processione, quam manifestationem appellat. Subdit enim Basil. ibidem, ob hanc rationem Spiritum sanctum esse Spiritum Filij, quia per illum scilicet manifestatur. Quod si de temporali manifestatione loqueretur, efficeretur, Spiritum sanctum esse Spiritum Filij ex tempore, quia ex tempore manifestatus est per Filium. Porro ibi particulam, per, non significare idem, quod, cum, probat Bessaron c. 6. eo quod non recte diceretur Spiritus Filij, quia cum illo est, sic enim liceret etiam dicere Filium Spiritus sancti, quia cum illo est, & manifestatur.

Manifestationis autem nomine aeternam processionem significari, ex alijs Patribus probat Bessaron. Primum ex Nyseno libro 1. contra Eunomium, quem inter eius opera non habemus, ubi de Spiritu sancto habet haec verba: Distinguitur ab eo sua proprietate, quae est, quod nec vnguentus ex patre productus est, & quod per ipsum Filium manifestatus est. Constat autem Spiritum sanctum per manifestationem temporalem non distinguari à filio, aut à Patre, sed aeterna solum emanatione. Illam autem particulam, per, eo loco non esse idem quod, cum, colligit inde Bessaron quia non recte assignaretur pro causa distinctionis Spiritus sancti à Filio, ipsum esse per Filium, hoc est, cum Filio: quis enim hoc non videt? Eodem nomine manifestationis usus est Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Valerianum Episcopum, quam citat Bessaron (verum inter illius epistolas in codicibus latinis Vasquez in part. 1. Tomus 2.

ea epistola non est) ubi ait: Quemadmodum Pater, ita etiam & qui ex eo manifestatur vnguentus Filius noster Sanctus est. Et iterum, proprius est Filij Spiritus sanctus, non solum in quantum verbum est ex Patre manifestatum; sed etiam in quantum homo factus intelligitur: hoc est, non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem. Et Greg. Nazianz. part. 5. de Theologia quae est 37. non longe à principio disertis verbis id nobis expressit: obiectio namque asserentium Spiritum sanctum esse Filium appellandum, quia nihil ei videretur deesse, quo minus Filius diceretur, sic respondet. Deesse nihil dicimus, neque enim Deo quidquam deest: verum manifestationis, & ut ita dicam, mutae eorum relationis differentia, ipsis quoque nomina diuersa procreauit. Quis autem non videat, nomina personarum procedere, tum non ex temporali earum manifestatione, sed ex origine, & aeterna processione fuisse deriuata? Concludit ergo recte Bessaron loco citato, idem valere apud Graecos haec tria, esse Spiritum Filij, & procedere per Filium, & manifestari per Filium.

Eodem modo Spiritum S. per Filium procedere, affirmant Nysenus oratione ad Ablabium de eo, quod est non oportere res Deos dicere. Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 1. & lib. 12. cap. 56. & lib. 13. Theauri c. 2. & lib. de recta fide ad Theodosium post medium, & lib. 5. c. 6. & 7. de Trinit. Demum Tharalius in epist. ad somnos Sacerdotes & Episcopos quae habetur in 3. act. 7. synodi in sua fidei confessione, hoc eodem modo loquitur: quem male reprehendit liber Carolinus ut cap. 3. notauimus. Denique cum multi, graueque Ecclesiae Latinae Patres, antiquam schisma esset exortum inter Graecos, & Latinos, in eam sententiam conspirauerint, magna Graecorum temeritas est, quod tam obfirmato animo adhuc in suo errore permaneant: & tam communi Patrum vtriusque Ecclesiae testimonio, frivolis rationibus, & fundamentis innixi aduersari, non dubitant.

Ex Latinis vero hanc sententiam catholicam tradiderunt Tertull. lib. aduersus Praxeam. c. 4. qui utitur particula, per, sicut Graeci superius allegati, & c. 8. ubi vitur particula, a, sicut ceteri Latini patres, & quamplures Graeci, Cyprian. serm. de aduentu Spiritus sancti, Hilarius 2. de Trinit. Amb. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. Rufinus in suo symbolo, quod habetur in 9. tomo Hieronymi. Augustin. tractat. 99. in Ioan. & alibi saepe numero, Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 13. Leo 1. in epist. 61. alias 93. quae est ad Turibium cap. 1. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. Idacius Clarus contra Varimandum post medium in 5. tomo Bibliothec. sacrae, Boethius libro primo de Trinitate. cap. 12. Hormisdas Papa in Epistola ad Iustinum imperat. cap. 2. Gregorius in symbolo, quod recitatur in eius vitalib. 2. cap. 2. & lib. 2. dialogo, c. ultimo, & 1. moral. c. 18. & Beda lib. de elementis philosophiae.

CAPVT VII.

Obiiciunt nobis Graeci aliquos Patres Orientis

Eterum videamus, quae nobis Graeci ex Patribus obiciunt: Primum quidem Dionysium cap. 2. de diuinis nominibus, qui vocat patrem fontem supersubstantialis deitatis, si autem spiritus procederet à filio, etiam filius esset fons. Respondeo per fontem intelligere Dionysium, non quaecunque principium, sed primum, ut explicauimus supra disp. 132, c. 3. quare etiam si solus

pater sit fons deitatis, hoc est, principium sine principio, filius potest esse principium de principio, sicut ritualis: & hac ratione solum procedit ab eo Spiritus sanctus.

Secundum testimonium. Secundo adducunt Basil. qui epist. 43. sic ait: Nullam secundum propriam notionem communionem

Explicatur. habet filius cum patre: si autem Spiritus ab utroque procederet, in notione spiritoris pater, & filius convenirent. Verum quis non videat, Basilium loqui non de omni notione harum duarum personarum, sed de propria uniuscuiusque, scilicet de paternitate, & filiatione, secundum quas nullam omnino communionem habent: cumque eodem loco Basil. plane dicat, Spiritum S. esse à patre per filium, nostram sententiam aperte confirmat.

34

Tertium testimonium. Tertio videtur Græci favere Nazianz. orat. ad Episcopos, qui venerant ex Aegypto. quæ est 24. dicit enim: Omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate. cum ergo iuxta Græcorum phrasin pater sit causa Spiritus sancti; consequens est, filium non esse causam. Respondeo, eo modo loquendi Gregorium solum significare, omnia esse communia patri, & filio præter oppositas relationes causæ, & causati, itaque loquitur de causalitate, qua mutuo filius, & pater referuntur, non de ea, qua Spiritum S. respiciunt, ut perspicue ex Damasc. colligitur lib. 1. de fide c. 9. & 11. quem retulimus c. 2. huius disput. Imo ex eo probauimus, filium cum patre in eo convenire, ut spiraret Spiritum sanctum.

Exponitur.

Quartum testimonium. Quarto proferunt Græci Damascenum lib. 1. de fide cap. 1. qui negat Spiritum sanctum ex filio esse. Scholastici nonnulli cum sancto Thoma quest. 10. de potentia artic. 4. rejiciunt Damascenum. quod sequutus fuerit errorem Theodoretum. Verum cum Theodoretus negaverit Spiritum sanctum esse per Filium, ut cap. 1. retulimus, & Damascenus eodem capite dicat, Spiritum sanctum non esse ex Filio, sed per Filium communicari & manifestari, & ipsum dici Spiritum Filij, non videtur Theodoretum concessisse. Porro neque Damascenum fuisse sequutum Græcorum errorem, qui affirmant, procedere quidem Spiritum sanctum per Filium, sed particula, per, causam non denotari, ut vidimus in hoc capite, inde mihi persuadeo, quia bene noverat Damasc. vim particula, per, causalem esse: noverat etiam definitionem Concilij Alexandrini contra Theodoretum: quare excusari non posset à culpa, ut ipsum defendere conatur Clichouens in illud caput, quod memoratone deceptus id asseruisset.

35

Damasc. ab errore Græcorum defenditur, & exponitur.

Existimo igitur Damascenum non negasse, Spiritum procedere à filio in sensu Latinorum. Vocat enim Spiritum Filij, quod, nisi ratione originis, dici nequit, ut notavit synodus Alexandrina in epistola citata. Ait etiam communicari, aut manifestari per Filium, quod nisi ratione æternæ emanationis ab eo, verum non esset. Affert etiam exemplum solis, radij, & splendoris; & splendori comparat Spiritum, dicit autem splendorem per radium nobis communicari, non alia ratione, quam processione, ergo idem sentit de Spiritu S. Quare respondeo cum Bessarione c. 7. illius orationis, & cum Concilio Florentino sess. ult. in literis unionis, ideo negasse aliquos Patres Græcos (inter quos & tu enumera Damascenum) Spiritum esse à filio, quia putarunt has duas particulas,

Cur Græci negarint Spiritum esse à filio, & ex filio.

à, & ex, denotare rationem primi principij, cumque filius non sit primum principium Spiritus sancti, sed principium de principio, ne duo prima principia Spiritus sancti, & duas spirationes videretur asserere, maluerunt dicere per ipsum esse Spiritum sanctum, quam ex ipso. Quocirca etiam diceremus, Damasc. vidisse & legitime acta 7. synodi, quod non constat, nec probabile satis est; absque villo crimine erroris eo modo loquendi uti posset, quia in 7. synodo solum definitur, Spiritum sanctum esse per filium.

Eodem sensu debet intelligi Maximus in epistola ad Marinum ubi de Patribus Latinæ Ecclesiæ dicit, eos non concedere, filium esse causam, hoc est, principium Spiritus sancti, intellexit enim causam sine causa, hoc est principium primum. Quod enim nonnulli Latini in Concilio Florentino dicebant, vel bailla in Græcis exemplaribus non haberi, optime conuincit Bessarion cillo 7. & sane nisi intellexisset Maximus, Latinos Patres eo sensu fuisse loquutos, manifestum eis mendacium imposuisset, nullum enim vel minimæ auctoritatis Latinorum Partum proferre posset, qui negaret Spiritum à filio tanquam à principio de principio procedere, sic etiam ego intelligere Theophyl. in illud Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum filio: & Euthymum in illud Ioan. 14. Egredietur pater: qui cum Damasceno negant, Spiritum sanctum à filio, aut ex filio procedere; quia nusquam negant per filium procedere; imo ibidem asserunt, dari per filium, & ideo esse, & dici Spiritum filij, quod de emanatione æterna intelligi, necesse est, neque enim ideo dicitur Spiritus filij, quia tempore taliter datur, sed quia ab æterno procedit. Adde etiam, quod hi auctores, verprelle ipsi notantur, ideo negant Spiritum ex filio procedere, ne concedantur duo principia Spiritus sancti: at Latini ab utroque, ut ab uno principio, Spiritum procedere, affirmant: quod si ab utroque ut à primo principio procederet, duo essent inaccessibiles, & consequenter duo principia. Putantes igitur hi Græci patres, particulam, per, significare primum principium, & causam; modum loquendi Latinorum negarunt, ut supra etiam ex Bessarione, & ex Concilio Florentino notauimus: quod quamvis in eorum lingua verum esset; inurbane tamen modum loquendi Latinorum, qui utuntur his particulis absque villo periculo, notarunt: velleo præferam, quod ex Græcis patribus permulti, quos c. 5. commemorauimus, utuntur particulis, à, ex, & de.

DISPUT. CXLVII.

An, si Spiritus S. à filio non procederet, ab eo distingueretur.

Status questionis. cap. 1.

Sententia Henrici, & Scoti, & aliorum. cap. 2.

Sententia Henrici, & Scoti nihil periculi habet in filiis. cap. 3.

Vera opinio S. Thome auctoritate probatur. cap. 4.

Quibus rationibus has sententia à Durando, & Clichtoni, & alijs probetur. cap. 5.

Duabus optimis rationibus prædicta opinio confirmatur. cap. 6.

Diluminantur rationes prioris sententia. cap. 7.

Corollaria præcedentis Doctrina. cap. 8.

CAUTI